



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Sect. 2. De Parentelâ Divi Iospehi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

tam suis vitis praxere potuisset.

XXXIX. Et hæc de Patriâ D. Iosephi realiter & historicè, moraliter dicere possumus D. Iosepho nullam hîc fuisse patriam, sed quod de Sapiente dixit sapienter Seneca epist. 102. *Illi patria est quodcumque supernè univèrsa circuitu suo cingit, hoc omne connexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina secernens etiam conjungit, intra quod disposita tot numina in actus suos excubant.* Vel quod idem Seneca de se lib. de Vitâ beatâ. *Patriam meam esse mundum scio, & Præsides Deos supra me, circum, me.*

XXX. Plutarchus lib. de exilio. *Naturâ, inquit, nulla est Patria, ut nec domicilium, neque prædium, neque officina araria, ut Aristoteles dixit, vel medica: sed fit, imò appellatur & nominatur horum quodcumque quantum ad habitationem & virtutem: Homo enim, ut est apud Platonem, non est stirps terræ infixæ, neque immota: Stirpes sunt & stipites qui Patrii soli amore capti ita loco uni adherere videntur, ut vi nulla possint ab eo avelli aut alienos tractus peragrare, non ut Socrates qui se non Atheniensem, non Græcum, sed mundanum appellabat. Non ita Sanctissimus Patriarcha Iosephus, qui ut in Galilæa, ita in Iudæa, ita in Ægypto degere, ut Deo placuisset, paratus fuit, & pater ex Evangelio.*

XXXI. De se dicebat Magnus ille Paulus Orosius Sancto Augustino familiaris, lib. 5. contra Paganos. *Inter Romanos Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, Religione conscientiam, communionem naturam: utror temporariè omni terrâ quasi patriâ, quia quæ vera est, & illa, quam amo, patria, in terra penitus non est: nihil perdidit ubi nihil amavi: totumq; habeo quando quem diligo mecum est; maxime quia & apud omnes idem est, qui me non modo notum omnibus, verum & proximum facit, neque egentem deserit, quia ipse est terra & plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia jussit esse communia.* Hæc ille: eadem tantò justius & rectius sibi usurpare potuit Sanctissimus Patriarcha Iosephus, quantò certius & strictius ubique secum habebat quem diligebat.

Sed cur non etiam de ipso verè dicere possim domum D. Iosepho fuisse, urbem, fuisse illi & Patriam, aded solitarius erat & absconditus: ibi, non de illorum numero erat de quibus loquitur Seneca epist. 60. *Qui latitant & torpent, inquit, sic in domo sunt, quasi in conditivo: horum licet in limine ipso nomen matroni inscribas, mortem suam antecesserunt.* Et omnis & nullius loci fuit filius aut debitor D. Iosephus, ubique Dominus, ubique peregrinus.

SECTIO II.

De Parentelâ Divi Iosephi.

DE Progenitoribus D. Iosephi supra fusè satis disceptavimus, hîc de fratribus & collateralibus consanguineis ejus. De quibus

Dico primò, quod supra c. 3. num. 6. Mariam & Iosephum fuisse consanguineos inter se, & ita propinquos ut Genealogiam D. Iosephi per Matthæum deductam, fuisse etiam Genealogiam Mariæ & Christi Domini ex eâ solâ nati, omnibus indubitatum fuerit: fuit enim Christus in suâ patriâ persona nimis publica ut ejus natales quemquam laruerint: unde factum ut nec ullus ex Judæis qui tunc vivebant quando Matthæus Genealogiam ipsius edidit, in dubium revocarit quod intendit perillam Matthæus, illam nimirum licet ad D. Iosephum terminatam, probare tamen Christi ex Abrahamo & Davide descensum secundum carnem.

Quare asserunt hodie Interpretes qui rem penitus examinarunt, quod & nos cum illis credimus, Jacob Patrem carnalem D. Iosephi, & Ioachim Patrem Beatæ Virginis fuisse fratres ex eodem Patre Mathan de lineâ Salomonis & Matre Estha genitos; atque aded Iosephum & Mariam fuisse Patruos, & habuisse eundem Avum & Aviam Mathan scilicet & Estham; quod verò addunt alii, quos sequitur Poza in Elucid. Deiparæ lib. 2. tract. 13. c. 6. Joachim & Annam eundem etiam Avum Paternum habuisse, scilicet Eleazar vel Eliud, qui omnes continentur in serie Matthæi; ac sic Sanctam Annam fuisse etiam consanguineam

Synopsis

Magnum

D.

Iosephi

SV

neam D. Iosephi in tertio vel quarto gradu, non approbo: quia mihi certum est illam ex Patre non fuisse de Tribu Iudâ, sed de genere Sacerdotali: fuit tamen amitta per affinitatem ut nupta Ioachimo Patruo suo, ac deinde superveniente matrimonio cum Beata Virgine, focrus.

XXXV. Ex his colligimus, quod cum D. Iosephus & Deipara conveniant in uno & eodem Avo Paterno seu communi utriusque stipite scilicet Mathan, sintque ideo ambo ut ex duobus fratribus geniti patruales & consanguinei in secundo gradu: colligimus, inquam, quod etsi D. Iosephus non esset Pater Christi, ut conjux Matris ejus, esset tamen consanguineus Christi in gradu medio inter secundum & tertium, & certissime propinquiori quam vel D. Ioannes Baptista, vel alii qui dicuntur in Evangelio ejus fratres & sorores, idest cognati.

XXXVI. Ex quo ita infero, si Christus, quia apprehendens semen Abraham factus est aliquo modo de cognatione Iudæorum, eos ita prætulit aliis nationibus in suis gratiis, ut ipse dixerit mulieri Chananeæ Matthæi, cap. 15. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Et non est bonum sumere panem filiorum & mittere illum omnibus*, & alia id genus: si veræ ac strictæ jura cognationis, majoribus adhuc favoribus prosecutus est, majori studio promovit, ut patet tum in Sancto Præcurfore suo, tum in pluribus Apostolis de cognatione sua ut Iacobo & Iuda & altero Iacobo & Ioanne filiis Zebedei, quos ad sacros Magistratus in regno suo evexit: an inter illos neglexisset D. Iosephum sibi propius illis sanguine conjunctum, nisi illum ad titulum omnibus celsiorem evexisset, majoribusque & selectioribus gratiis & reservasset & dignum effecisset?

XXXVII. Nomen Matris D. Iosephi quæ fuit uxor Heli, & in qua Iacob hujus uterinus frater eum suscitavit, juxta legem fratri suo sine liberis defuncto, ignoratur, bonam tamen fuisse conjicitur, primò, ex eo quod tali homini qualis fuit & debebat esse D. Ioseph non alia mater quam bona obtingere debuerit, quis enim credat tam boni fructus ma-

lam fuisse arborem? etsi enim subinde contingat quod non diffiteor, ex malis parentibus bonos quandoque nasci filios, & è contra, id tamen rarum est, & præcipue in filiis adeò conspicuis & insignibus qualis fuit D. Iosephus. Secundò, quia ut docet Aristoteles, *Filii frequenter matrificant*, quod jam transit in proverbium: idest proles matrem frequenter referunt, non tantum in specie vultus, & totâ corporis habitudine, sed maximè in indole, moribus & complexionem: quod ex quintuplici capite provenit, primò, quidem quia corpus proles ferè ex toto decimum est ex substantiâ matris. Secundò, quia satis lógo tempore in utero matris corpus proles formatur & organizatur, ut illud suo charactere notet, suasque ei imprimat affectiones & passiones, ac temperamentum. Tertio, quia ibi ex ejus substantiâ coagmentatur per novem menses. Quarto, quia indèeducta primam suam nutritionem ex eadem illius substantiâ, sanguine scilicet ejus in lac converso, accipit, quod multum confert ad indolem: dum enim egredimur utero materno complexionem quidem habemus aliquam, at valde imperfectam, sed absolvitur in manibus ejus cujus lac sugimus: hoc adeò verum est, ut etiam observatum sit quod si hinnulus Capræ ovem fugat, pilus ejus lenior evadit, & è contra si caprea agnum lactet, hujus lana erit asperior. Proprerea Commodus Imperator nihil habuit indolis Parentum suorum, sed illam traxit, & quoad vixit retinuit à nutrice quam suxit: mulier illa pilosa erat & barbata ut vir, & ideo Commodus illi traditus, quia credebatur cum lacte nutricis, animum fortem, martialem & generosum hausturum; sed secus accidit: hæc enim per lac suum ex Principe fecit gladiatorem, ex Imperatore monstrum, hominem dico ferinum, trucem, & barbarum. Tandem filii *frequenter matrificant* propter educationem, in quâ matres potiore habent partem. Cùm ergo videamus D. Iosephum tam bonæ indolis, tam honestum, mitem, modestum, & tranquillum, cur non ex hoc conjiciamus probabiliter matrem ipsius ex
cujus

cujus substantiâ compactus est, in cujus matrice totis novem mensibus formatus est, cujus substantiâ & lacte tamdiu nutritus est, sub cujus manu adolevit, honestam fuisse & optimam? Tertiò, principaliter quia aliquo modo fuit Avia Christi, utpote mater Patris sui D. Josephi; ergo aliquo modo propter istam ad Christum proximitatem à Divâ Annâ ad illam, arguendum, licet non omninò pariformiter.

XXXVIII Præterea pro certo assigno D. Josepho Fratrem ex eodè Patre & Matre genitum nomine Cleopham: & huic assero standum statuit Baronius in Apparatu propter authoritatè Hegesippi antiquissimi qui fuit vicinus temporibus Apostolorum: & confirmatur iterum authoritate D. Epiphani qui hęc ref. 66. ait: *Præterierunt Sancti omnes & cum ipsis Simeon filius Cleophæ fratris Ioseph. Et hæref. 78. Hic Ioseph frater fuit Cleophæ, erat autem filius Iacob qui Panther cognominabatur. Idemque docent Eusebius lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 11. Cedrenus in Compend. histor. Nicephorus lib. 3. histor. cap. 9. Ven. Beda in cap. 6. Luca & in cap. 1. Actuum Apost. Theophylactus in cap. 19. Joan. & alii innumeris. Confirmaturque secundo efficacissimè ex Joan. cap. 19. ubi una ex mulieribus stantibus juxta Crucem Jesu cum Matre ejus dicitur Maria Cleophæ, non utique à Patre, sed à marito suo, more Judæis aliisque usitato, simulque dicitur Soror Beatæ Virginis, (*Stabat juxta Crucem IESU Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ:*) undè autem hæc Soror Mariæ, nisi quia erat Uxor Cleophæ Fratris Sancti Iosephi Sponsi Mariæ?*

XXXIX. Consequenter Nepos ejus fuit Simeon, ille de quo ita Eusebius, & Historia Ecclesiast. in Breviario ad 18. Febr. *Simeon Filius Cleophæ post Iacobum proximus Ierosolymis ordinatus Episcopus, Trajano Imperatore apud Atticum Consulare est accusatus, quod Christianus esset, & Christi propinquus: (comprehendebantur enim omnes eo tempore quicumque ex genere David orti essent.) Quare multis cruciatus tormentis, eodem passio- nis genere, quod Salvator noster subierat, afficitur, mirantibus omnibus quod homo*

atate confectus (erat enim centum & viginti annorum) acerbissimos Crucis dolores fortiter constanterq; pateretur.

Dico tertiò, constat ex Matth. cap. 13. circa finem & Marci cap. 6. in initio, Iacobum Minorem, Ioseph, Iudam & Simonem seu Simeonem fuisse dictos fratres Domini: quod quo pacto verum sit hîc inquirendum, quia facit ad præsentem materiam. Respondebat spurcissimus Helvidius ita dictos, quod ex eadem Matre quâ Christus essent nati, negabat enim Matrem Christi perpetuò mansisse Virginem; sed cum iste nequam vapulaverit D. Hieronymo lib. contra ipsum, cum hîc dimittimus.

Respondent secundo, Græci passim cum Eusebio lib. 2. histor. cap. 1. & è Latinis S. Hilarius & Ambrosius apud Baronium in Apparatu cap. 46. fuisse filios D. Iosephi ex priori matrimonio quod inerat antequam Beatam Virginem duceret: verum Divum Iosephum non habuisse aliam uxorem quam Beatam Virginem, ac perpetuam coluisse Virginitatem, res est quam clarè probabimus infra Parte 2. Tractatu 1. cap. 3.

Respondent alii tertiò, hos fuisse ex Sanctâ Annâ Virginis Matre progenitos. Volunt enim Annam præter Ioachimum ex quo concepit Beatam Virginem Deiparentem duos alios successivè habuisse maritos, ex quibus illas proles conceperit. Hujus sententiæ fuit Hugo de S. Victore quæst. 5. de nuptiis. Glossa & Strabo in cap. 1. ad Galat. Haymo lib. 2. de Christianar. rer. memoria cap. 3. Ludolphus part. 1. cap. 3. Ekius ferm. de S. Annâ, Franciscus Ximenez Patriarcha Ierosolymitanus lib. 2. cap. 14. Adrichomius in Chronico, & Theophilus Lebbæus in suo Onomastico Theolog. & alii. Hancque sententiam docet Azorius lib. 2. Moral. institut. cap. 15. fuisse communiorem.

Sed esto illa esset communiore, quod non, contraria est verior, imò certa: constat enim ex Sancto Hyppolito antiquissimo apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Sanctam Annam unius Viri fuisse uxorem & unicæ prolis Matrem, Uxorem Ioachimi, Matrem Deiparæ,

Synopsis

Magabiu
D.
Iosephi
SV
an

idque multis probant, Christophorus à Castro lib. de Deipar. cap. 1. Baronius in Apparatu ad Annales cap. 46. & seq. Suarez part. 3. quæst. 28. art. 1. disp. 5. sect. 4. & innumeri alii. Et confirmatur auctoritate Patrum Sancti Ioannis Damasceni orat. 1. de Nativit. Virgin. ubi ait: *Te unigenitam & primogenitam hodierno die ex sterili Matre produxisti.* Eusebii Emisleni homil. in Nativ. Mariæ. *Maria, inquit, nec fratres habuit nec habuisse legitur.* Euthimii in cap. 19. Ioan. ad illa verba vers. 25. *Stabant autem juxta Crucem IESU Mater ejus & Soror Matris ejus Maria Cleopha.* *Unigenita, inquit, erat Dei Mater: Moris autem erat apud Hebræos fratrum quoque uxores appellare sorores propter virorum fraternitatem: Ioseph quidem & Cleophas, viri Deiparæ & alterius Mariæ (idest Cleophae) naturâ fratres erant, ipsæ autem eorum uxores affinitate sorores.* Idem quoque docet Theophilactus in eundem locum. Et certè si cum in Divinis Scripturis fratres & sorores nominari inveniuntur, inquit Baronius, velint hi germanas intelligere, in portentosos eos labi errores necesse est, cum apud Matthæum & Marcum Christi sorores & fratres nominentur, quos quidem nullus unquam Catholicus ex Deiparâ Virgine natos (cum sit horrendum nefas vel cogitare) præsumpserit.

XLIV. Confirmatur idem ex Sanctis Patribus, Gregorio Nysseno serm. de Christi Nativit. Damasceno orat. 2. & 3. de Nativit. Virg. Andræâ Cretenfi Encom. 1. de dormit. Virg. Germano serm. de oblat. Mariæ in templo. Epiphonio orat. de laudib. Mariæ, S. Thomâ in 1. ad Galatas lect. 5. Metaphraste de vitâ Virg. Nicephoro lib. 1. histor. cap. 7. Cedreno in Compend. histor. Ildephonso serm. de Nativit. Deipar. qui omnes cum asserant S. Annam in senectute concepisse Mariam, sequitur non credidisse adeo fuisse avidam matrimonii, ut iterum iterumque in eâ ætate, præsuppositisq; præsupponendis nupsisset.

XLV. Confirmatur iterum, quia S. Anna per Virginis natalem veteris acceperat Testamenti benedictionem, nec quidquam cogebat ut post fœmineam

fœbolem tentaret nova connubia, ut masculus nasceretur. Quis autem credat nihil ad hoc cogente, & præterea impediente senectute, adeo fuisse incontinentem aut levem Annam sanctissimam fœminam, ut ad secundum & tertium thalamum inhiarit.

Igitur dicendum hos quatuor, Iacobum, Iosephum, Iudam & Simonem seu Simeonem non fuisse propriè fratres Christi, nec etiam ex D. Iosepho, aut Sanctâ Annâ progenitos, sed dici fratres idest consanguineos phrasi Hebræis familiari, & ut expressius loquamur fuisse filios præfati Cleophae fratris D. Iosephi, & istius quæ dicitur Maria Cleophae & Soror Matris IESU, quæ unâ cum ipsa stabat juxta Crucem IESU.

Nam constat istos quatuor fuisse fratres, & quidem de Iacobo Minore & Ioseph patet ex Marci cap. 15. vers. 4. ubi assignatur una utriusque Mater: patet etiam de Iuda, quia hic initio epistolæ suæ vocat se fratrem Iacobi, intellige hujus, idest Minoris: quare ergo Simonem sive Simeonem illis admixtū ab Evangelistis Matth. c. 13. & Marc. c. 6. ab illis separaremus? Atqui patet ex dictis hic supra num. 39. Simeonem fuisse filium Cleophae, ergo dicuntur fratres Christi quia fuerunt nepotes D. Iosephi, nimirum filii Cleophae fratris Ioseph. Nec refert quod iste Iacobus minor dicatur Alphæi, idest filius, quia Cleophas utroque nomine nuncupatus est.

Negat tamen Baronius in apparatu ad Annales eandem fuisse Mariam quæ dicitur Cleophae Ioan. c. 19. v. 35. & illam quæ dicitur Iacobi & Ioseph mater Matth. c. 27. v. 35. eò quod hanc Mariam Iacobi & Ioseph matrem à longè stantem & aspicientem cum aliis mulieribus, tradant Matthæus c. 27. & Marcus c. 15. Ioannes verò c. 19. de Mariâ Cleophae sorore Matris IESU loquens, eam statuit cum Matre Iesu stantem juxta crucem Iesu: sed non animadvertit Baronius, quod iisdem locis Matthæi & Marci Maria Magdalena dicitur etiam stetitisse & aspexisse à longè, & tamen Ioannes eodem etiam capite dicit, *Stabant juxta Crucem IESU Mater ejus soror Matris ejus Maria Cleopha*

Et Maria Magdalena. Quod ergo respondebit Baronius, ut hæc duo quæ putat diversa conciliet pro Maria Magdalena, hoc ego Baronio reponam pro Mariâ Cleophæ.

XLIX. Pro Coronide nescio an non possum dicere ad commendationem sanctissimi nostri Patriarchæ D. Iosephi, quod omnes illi ejus propinqui propter illius considerationem à Deo eam quâ præditi fuerunt sanctitatis prærogativam acceperint, eodem modo proportionem servatâ quo docent auctores & inter eos Victor Serm. de Purificat. Parentes & propinquos Beatæ Virginis propter ipsam, gratias accepisse quas aliâs accepturi non erant. Non quod ego existimem carnem vel sanguinem posse mereri sanctitatem aut esse dispositionem ad illam; absit hoc à me, sed quod Christus Dominus occasionem accepit ob amorem dilectissimi Patris sui Iosephi ejus cognationi benefaciendi, eamque propter illius considerationem gratis præveniendi; cum quibus ad eum quem adepti sunt sanctitatis gradum pervenire.

L. Nec hoc (ut ramen arbitrator) temerè dictum: confirmor in hac opinione meâ exemplo quod occurrit in Scripturâ Tobix cap. 13. ubi in gratiam viri istius Sancti, quorquot filii & cognati tunc erant & fuerunt longo post tempore justii, Deoque ac hominibus charissimii extiterunt & extitisse pronunciantur, sic enim ibi Scriptura: *Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, & filiis & filiorum filiis, & reversus est ad sacros suos, invenitq. eos incolumes, in senectute bonâ, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hereditatem domus Raquelis ipse percepit, viditq. quintam generationem filios filiorum suorum, & completis annis nonaginta novem in timore Domini cum gaudio sepelierunt eum, Deinde addit statim quod sequitur. Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus, in bonâ vitâ & in sanctâ conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus, & cunctis habitantibus in terrâ.*

LI. Quare non debet videri durum quod dico in gratiam D. Iosephi, qui non Tobix solum, sed etiam omnium

hominum merita apud Christum filium suum superavit, quod gratiam ad cognatos suos ut Tobias transmittere potuerit, seu potius quod illâ Christus intuitu quod ejus cognati erant concesserit, cum illud fecerit non tantum generationi Tobix, sed etiam cognationi intuitu ejus.

CAPUT XV.

De Nomine Sanctissimi Patriarchæ, quod est Ioseph.

Nemo negaverit, ut credo, omnes semper in eo convenisse nationes, ut filiis suis nomina imposturi, præclarum aliquod, & non nisi faulsi ominis eligerent; & hoc quantum consequi possum duplici sine: primò, quidem ut filii hæc ratione admonerentur, & quando ad ætatem pervenissent intelligerent, spem de eorum probitate conceptam, ut eam studiis suis implere satagerent. Secundò, ut hoc pacto in eis desiderium excitarent, & adderent animum non minora pro virtute & honore gerendi, quam fecerant illi qui ante eos idem gestaverant nomen, & quorum recordatione istud eis nomen erat impostum: inde tot Alexandri, tot Aristobuli, tot Constantini, tot Theodosii, tot Chrysostomi, inde etiam Sanctissimo Patriarchæ nostro nomen Iosephi.

Neque id cuiquam mirum videatur quando etiam turpissimi turpia habere nomina semper abhorruerint: Hinc apud D. Augustinum, lib. de Hæresibus cap. 42. & lib. 18. contra Faustum c. 22. Impii Manichæi & hæretici terticimi considerantes vocabulum *Manian*, ex quo nomen Manichæi, manifestè significare stultitiam seu ineptiam, addiderunt ad nomen suum, alteram litteram N. & pro *Manichæi* quod sonabat *manian* seu stultitiam fundentem ex ore, hoc est puram cæli doctrinam, *Xho* enim Græcis *fundo* sonat.

Hinc etiam, ut mille alia his similia præteream, Luther apud Florimund-

Synopsis

Magist. D. Iosephi SV